

oie  
yt  
m  
do  
noce do mine  
m  
deus meus  
tens  
aine  
nhs  
descende  
tibus

CB  
2246



scri

E

confirmat amplius quod

12. Spiritus virtute per obe-

diens Christianos et  
nem ipsi etiam

Et id est et ibi etiam

nos confir-

Gal. 4. Et

in Mar-

8: 11  
n sin  
ou &  
ni  
je  
o / a  
pinc  
te  
m

7,

A, 56.



COMPENDIUM  
GRAMMATICÆ  
LATINÆ,

*Pro*

SCHOLA HANOVICA.



HANOVIAE.

Typis & Sumptibus JACOBI LASCHÉ,

ANNO M. DC. LII.



DE UTILITATE  
GRAMMATICES.

**U**T in ædificiis fundamen-  
tum stabile atque firmum  
esse oportet; aliâs quicquid su-  
perstructum fuerit, facile cor-  
ruit: Ita nemo magnos in ullo  
studiorum genere progressus  
faciet, nisi prius Grammaticâ  
probè cognitâ, solidum sibi ad  
alias artes gradum fecerit.



COM-



COMPENDIUM  
GRAMMATICÆ LATINÆ,  
Pro  
SCHOLA HANOVICA.

**G**RAMMATICA est Ars  
quæ rectè loquendi scribendi-  
que rationem tradit.

*Partes Grammaticæ sunt quatuor.*

Orthographia , Profodia , Etymologia ,  
& Syntaxis.

DE ORTHOGRAPHIA

Literæ sunt tres & viginti

A a b c d e f g h i k l m n  
o p q r s t u x y z.

---

A B C D E F G H I K L M  
N O P Q R S T V X Y Z.



## DE ETYMOLOGIA.

Dividuntur in Vocales & Consonantes.

*Vocales sunt quinque.*

a, e, i, o, u, & y, græcum.

*Ex Vocalibus conflantur Diphthongi quatuor.*

æ, œ, au & eu,

## DE ETYMOLOGIA.

*Partes Orationis sunt octo.*

**N**OMEN, Pronomen, Verbum, Participium,  
Adverbium, Coniunctio, Præpositio, In-  
teriectio.

## DE NOMINE.

Nomen est, quo res nominatur, & cui Germa-  
nicè præponi potest, Dem man im Deutschen  
kan vorsezen / ein / der / die / das / ut, Homo, ein  
Mensch / Vir der Mann / Nox die Nacht / Lumen  
das Licht.

## DIVISIO NOMINIS

Nomen aliud est Proprium, aliud Appella-  
tivum.

Proprium nomen ist ein eigener Nam / oder  
Zauffnam / ut Petrus, Spira.

Appel-

Appellativum ist ein gemeiner Nam/ ut Civitas ein Stadt/ Homo ein Mensch/ Liber ein Buch/ Fenestra ein Fenster.

*Appellativum est duplex.*

Substantivum, & Adjectivum.

Substantivum est, cui Germanicè non potest addi, Zu dem man im Deutschen nicht kan setzen / Mann/ Weib/ ding/ ut, flos, herba.

Adjectivum est, cui Germanicè addi potest, Zu dem man im Deutschen setzen kan/ Mann/ Weib/ ding/ ut, bonus vir, ein guter Mann/ bona mulier, ein gut Weib/ bona res, ein gut ding.

DE GENERIBVS NOMINVM.

*Genera Nominum sunt.*

Masculinum	{         }	cujus nota est,	hic.
Fœmininum			hæc.
Neutrum			hoc.
Commune			hic & hæc.
Omne			hic & hæc & hoc.

DE GENERE MASCVLINO.

*Masculini generis sunt nomina.*

1. Virorum, ut, hic Iohannes, Elias, Daniel.
2. Officiorum, virilium, ut Quæstor, ædilis. prætor.

A 3

3. Men-

3. Mensium, ut, Januarius, Aprilis.
4. Ventorum, ut, Eurus.
5. Fluviorum, ut, Rhenus, Istula.
6. Populorum, ut, Thraces.

### D E G E N E R E F O E M I N I N O .

*Fœminini generis sunt nomina.*

1. Mulierum, ut, Sara, Iudith.
2. Muliebrium officiorum, ut, obstetrix, mater.
3. Regionum; ut, Germania; Et Insularum, ut, Rhodus.
4. Urbium; ut, Carthago. Corinthus.
5. Arborum; ut, ficus, malus.

### D E G E N E R E N E V T R O .

Fructuum & metallorum nomina sunt generis Neutri, ut, hoc pomum, hoc aurum.

### D E G E N E R E C O M M V N I .

Quæ viris ac mulieribus pariter conveniunt, sunt generis Communis; ut, hic & hæc adolescens, hic & hæc parens, &c.

### D E G E N E R E O M N I , S E V D E *motione Adiectivorum.*

Omnia adjectiva sunt generis omnis. Sed horum alia tres terminationes habent, ut, hic pulcher,



cher, hæc pulchra, hoc pulchrum : Alia duas, ut,  
hic & hæc fortis, & hoc forte : Alia unam tantum,  
ut, hic & hæc & hoc felix.

*Regula de generibus secundum terminationes.*

In A primæ declinationis fœminina sunt, ut,  
palma, tabula, mensa.

Pluralia in a, neutra sunt, ut, arma, mœnia.

In E, neutra sunt, ut, cubile, monile.

In I, neutra sunt, ut, gummi.

In O, masculina sunt, ut, sermo.

Quæ in DO, & GO desinunt, fœminina sunt,  
ut, dulcedo, caligo.

Excipe dissyllaba masculini generis, ordo,  
cardo.

In IO, verbalia, fœminina sunt : ut, lectio :  
item, caro, & talio.

Quæ in V, C, L, M, N, desinunt, neutra  
sunt : ut, veru, lac, mel, vinculum, examen.

In AR, neutra sunt, ut, laquear, calcar.

In ER, masculina sunt, ut ager, faber.

Cætera neutra sunt, ut, cadaver, papaver,  
ver, iter.

In OR, Masculina sunt : ut, amor, honor.

Arbor, fœmininum est.

Neutra sunt, cor, æquor, marmor.

Comparativi in OR, sunt generis communis,  
ut, hic & hæc maior, doctior.

In UR, neutra sunt : ut, ebur, sulphur, jecur.

In AS, fœminina sunt, ut, civitas, castitas.

In ES, tertiæ & quintæ declinationis fœminina sunt, ut seges, fides.

In IS, cùm Græca, tùm Latina, fœminina sunt, ut, amussis, cutis, pyramis.

In OS, masculina sunt: ut, flos, lepos.

In US, secundæ & quartæ declinationis masculina sunt, ut, ventus, fructus.

In US, tertiæ declinationis, quæ U in obliquis (id est, genitivo, dativo, accusativo & ablativo) retinent, fœminina sunt, ut, palus paludis.

In US, tertiæ declinationis, quæ U, in obliquis mutant, neutra sunt: ut, pecus pecoris, corpus corporis, ulcus ulceris, vulnus vulneris.

Excipe, lepus leporis, quod masculinum est.

Vetus veteris, generis omnis.

Venus Veneris, generis fœminini.

Item Comparativa in US, neutra sunt, ut majus, majoris.

In AUS, Fœminina sunt, ut, laus, fraus.

Quæ in BS, LS, MS, NS, PS, RS, desinunt, fœminina sunt, ut, Trabs, puls, hyems, frons, seps, ars.

In T, neutra sunt, ut, Caput.

In X, fœminina sunt, ut, fornax, pax, lex.

Excipe, judex, rex, frutex, vindex, &c. quæ sunt masculina.

*Numeri Nominum sunt duo.*

Singularis, ut, hic magister: Pluralis, ut, hi magistri.

*Casus*

*Casus sunt sex.*

Nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus.

*Declinationes Nominum sunt.*

quin- que.	}	Prima	}	Cujus geniti- vus de- finit in	{	æ, ut, scholæ.
		Secunda				i, ut, verbi.
		Tertia				is, ut, arboris.
		Quarta				us, vel u, ut, fructus, veru.
		Quinta				ei, ut, fidei, tribus sylla- bis.

**P R I M A** declinatio cõplectitur quatuor ter-  
minationes, A, ut, schola, AS, ut, Elias, Es, Ec-  
clesiastes, E, ut, epitome.

**S E C U N D A** declinatio habet terminationes  
sex: ER, ut magister, IR, ut, vir, UR, ut satur,  
US, ut, Dominus, EUS, ut Orpheus, UM, ut  
verbum.

**T E R T I A** declinatio his decem literis, A, ut,  
poëma, E, ut cubile, O, ut, sermo, C, ut lac, L, ut,  
mel, N, ut, nomen, R, ut pater, S, ut cespes, T, ut,  
caput, X, ut fornax.

**Q U A R T A** declinatio habet duas terminatio-  
nes, US, ut, fructus, & U, ut, cornu.

A S

QUIN

QUINTA declinatio habet unam terminationem, ES, ut, dies.

DE COMPARATIONE.

Comparantur adjectiva, quorum significatio augeri minui ve potest.

*Gradus Comparationis sunt tres.*

Positivus, ut, doctus gelehrt. Comparativus, ut, doctior, gelehrter/ Superlativus, ut, doctissimus, sehr gelehrt/ oder der allergelehrtest.

Comparativus fit regulariter à Positivi casu in I, addito OR, vel US, ut, docti, doctior, doctius, felici, felicior, felicius.

Superlativus regulariter fit à positivi casu in I, addito S, & SIMUS: ut, docti, doctissimus, felici, felicissimus.

*Exceptio.*

Quæ desinunt in ER, eorum Superlativi fiunt à nominativo addito RIMUS, ut, niger, nigerrimus.

Quinque sunt, quæ desinunt in LIS, quorum superlativi fiunt à positivi casu in I, addito MUS, ut, facili, facilimus, agili, agilimus, gracili, gracilimus, humili humilimus, simili similimus.

## DE FIGURA NOMINVM.

Figura Nominum alia est simplex, ut, aptus.  
Alia composita, ut, ineptus,

## DE SPECIE NOMINVM.

Species nominum Alia est primitiva, ut, equus.  
Alia derivativa, ut, equestris,

## DE PRONOMINE.

**P**RONOMEN est quod pro nomine ponitur, ubi  
ingrata futura erat nominis repetitio.

*Pronomina sunt novendecim.*

Ego, tu, sui, ille, iste, hic, is, quis, qui, meus,  
tuus, suus, noster, vester, cuius, cuja, cuium, &  
cujas.

*Significationes Pronominum sunt sex.*

Alia  
enim  
prono-  
mina  
sunt

1. Demonstrativa, ut, ego, tu, hic, iste.
2. Relativa, ut, is, ipse, qui. Ille, aliâs  
Demonstrativum, aliâs Relativum est.
3. Reciproca, ut, sui, suus.
4. Interrogativa, ut, quis, cuius, cuja,  
cuium, & cujas.
5. Possessiva, ut, meus, tuus, noster,  
vester.
6. Gentilia, ut, nostras, vestras.

Gene-

*Genera Pronominum sunt quatuor.*

1. Masculinum, ut, meus.
2. Fœmininum, ut, mea.
3. Neutrum, ut, meum.
4. Omne, ut, ego, tu, sui, nostras, vestras.

## D E V E R B O.

**V**ERBUM est, quod agere aliquid aut pati significat; seu cui Germanicè præponi potest *ich/du/der/es/ & man.*

*Verbum est duplex.*

Personale, cui præponi potest, ego, tu, ille.  
 Impersonale, cui non potest præponi, ego, tu, ille.

*Genera verborum sunt quinque.*

1. Activum est, quod in O desinit, gignitque ex se passivum, & accusativum admittit, ut, doceo te.
2. Passivum est, quod in OR desinit, & admittit ablativum cum præpositione A, vel Ab, ut, doceor à præceptore.
3. Neutrum est, quod in O desinit, nec gignit ex se passivum, nec casum proprium habet, ut, sto, pareo.
4. Commune est, quod in OR desinit, & aliàs activè

activè aliàs passive significat ; ut, consolor te, & consolor à te.

5. Deponens est, quod in OR desinit, & aut activè significat, ut precor Deum : aut neutraliter, ut vaticinor, labor, ich falle/ &c.

*Species verborum sunt.*

Duæ, Primitiva, ut, ago, fugio.  
Derivativa, ut, agito, fugito, &c.

*Tempora sunt quinque.*

1. Præsens, ut, venio, ich kom.
2. Præteritum imperfectum, ut, veniebam ; ich kam.
3. Præteritum perfectum ; ut, veni, ich bin kommen.
4. Præteritum plusquam perfectum ; ut, veneram, ich war kommen.
5. Futurum ; ut, veniam, ich werde oder will kommen.

*Modi verborum sunt quinque.*

Indicativus, Imperativus, Optativus, Subjunctivus, vel Coniunctivus, & Infinitivus.

*Figura verborum sunt.*

Tres. Simplex, ut, lego : Composita, ut, colligo : Decomposita, ut, recolligo.

*Personæ*

*Personæ verborum sunt.*

Tres: prima, ut, lego: secunda, ut, legis, tertia, ut, legit.

*Numeri verborum sunt.*

Duo: Singularis, ut, lego: pluralis, ut, legimus.

*Coniugationes verborum sunt.*

Quatuor. Prima, quæ habet A longum ante RE, in infinitivo activo, vel in Imperativo passivo, ut, amare.

Secunda, quæ habet E longum ante RE, in infinitivo activo, vel in Imperativo passivo, ut, docere.

Tertia, quæ habet E breve ante RE, in infinitivo activo, vel imperativo passivo: ut, legere.

Quarta, quæ habet I longum ante RE in infinitivo activo, vel in Imperativo passivo, ut, audire.

*De Præteritis & Supinis verborum.*

Verba primæ conjugationis habent A V I in præterito, ut, amavi. In Supinis A T U M & A T U, ut, amatum, amatu.

Verba secundæ conjugationis ferè habent V I,  
dua-



duabus syllabis, in præterito: in supinis ITVM,  
& ITV, ut, monui, monitum, monitu.

Præteritorum & supinorum tertiæ conjugationis magna est varietas, de qua alibi.

Præterita quartæ conjugationis I VI, supina ITVM & ITV, ut, audio, audivi, auditum & auditu.

## DE PARTICIPIO.

**P**ARTICIPIUM est nomen verbale significans tempus.

Participia in NS sunt generis omnis; declinationis tertiæ.

Cætera tribus terminationibus tria genera complectuntur, & sunt primæ ac secundæ declinationis, ut, hic lectus, hæc lecta, hoc lectum.

NUMERI participiorum sunt duo. Singularis, ut, legens, pluralis, ut, legentes.

FIGURÆ duæ. Simplex, ut, spirans, Composita, ut, respirans.

CASUS sex: ut in nomine.

TEMPORA tria: Præsens in NS, Præteritum in SUS, ut, visus, TUS, ut, lectus; XUS, ut, fixus.

Futurum activum in RUS, ut, lecturus.

Futurum passivum in DUS, ut, legendus.

Duo participia veniunt à verbis activis: Præsens, ut, amans: Futurum, ut, amaturus.

A pas-

A passivis duo : Præteritum, ut, amatus, Futurum, ut, amandus.

A neutris duo; Præsens, ut, currens; Futurum, ut, cursurus.

A neutro-passivis tria : Præsens, ut, gaudens, Præteritum, ut, gavisus, Futurum, ut, gavisurus.

A communibus quatuor : Præsens, ut, consolans, Præteritum, ut, consolatus, Futurum activum, ut, consolaturus, Futurum passivum, ut, consolandus.

A deponentibus tria : Præsens, ut, loquens, Præteritum, ut, locutus, Futurum, ut, locuturus.

### DE ADVERBIO.

**A**DVERBIUM est, quod Verbo adjectum significationem ejus explanat atque implet.

*Species Adverbiorum sunt dua.*

Primitiva, ut, cras, Derivativa, ut, partim, à pars.

*Figura Adverbiorum sunt.*

Duæ : Simplex; ut, hinc. Composita, ut, abhinc :

*Significatio Adverbiorum.*

Ad significationem quod attinet, Adverbia alia sunt Loci; & significant: Vel

I. In

1. In loco, ut isthic, ubi tu es, illic, ubi ille est, alibi, intus, foris, ante, ponè, infra, supra. Vel  
 2. De loco, unde, isthinc, illinc, undique, cœlitus, &c. Vel  
 3. Ad locum, eò, huc, istuc, illuc, aliquò; intrò, foras: Vel  
 4. Per locum, quâ, illac, isthac.

Alia TEMPORIS, quando, cras, hodie, heri.

NUMERI, semel, bis, ter, centies, millies.

AFFIRMANDI, profectò, scilicet, videlicet, plane, etiam, maximè, nempe, &c.

NEGANDI, non, haud, maximè *minimè*

DEMONSTRANDI, en, ecce.

DECLARANDI, nimirum, videlicet.

OPTANDI, utinam, ô si.

HORTANDI, eia, age.

ORDINIS, primò, deinde.

SIMILITUDINIS, quasi, ceu, sicut, velut.

INTERROGANDI, cur, quare, quàm obrem.

QUALITATIS benè, malè, doctè, pulchrè, verè, &c.

QUANTITATIS, multum, paululum, minimum, parum.

INTENDENDI, valdè, prorsus, vehementer.

REMITTENDI, sensim, paulatim.

DUBITANDI, forsan, fortasse.

PERSONALIA, mecum, tecum, nobiscum, vobiscum.

VOCANDI, heus.

RESPONDENDI, hem, hei.

B

SEPA-

SEPARANDI, privatim, secus, tantum, solum.

~~JURANDI, Hercle, pol, & depol.~~

ELIGENDI, vel CORRIGENDI, potius, magis.

CONGREGANDI, simul, unâ, pariter.

PROHIBENDI, ne, nequaquam.

COMPARANDI, tam, quàm.

EVENTUS, fortè, fortuito.

### COMPARATIO.

ADVERBIA comparantur ab adjectivis orta, ut doctè, doctius, doctissimè. Sic & alia, sæpè sapius, sapiissimè, &c.

### DE CONIUNCTIONE.

CONIUNCTIO est, quæ conjungit ordinatque sententiam.

*Figura Coniunctionis sunt duæ.*

Simplex, ut, quando: composita, ut, quandoquidem.

*Potestas seu significatio est sextuplex.*

Aliæ enim Coniunctiones sunt:

1. Copulativæ; ac, et, atque, etiam.

2. Dif-

2. Disiunctivæ; aut, vel, sive, seu, sed.
3. Adversativæ; at, atq, verùm, quamvis, etsi.
4. Causales; nam, namque, enim, quia, quoniam, ni, nisi, si, siquidem.
5. Ratiocinativæ; ergo, igitur, ideo, idcirco.
6. Approbativæ; quidem, equidem.

## O R D O.

Aliæ sunt in ordine præpositivæ; nam, quare, etenim,

Aliæ postpositivæ; enim, autem, quoque.

Aliæ indifferenter præponuntur, aut postponuntur; enim verò, ergò, igitur, itaque, seu, sive.

## DE PRÆPOSITIONE.

**P**RÆPOSITIO est, quæ aliis dictionibus præponitur. Ad, adversus, ante, apud, circa, circiter, circum, cis, citra, contra, erga, extra, infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, præter, propè, propter, secundùm, secus, supra, trans, versus, ultra, usque, in, sub, subter, & super, A, ab, absque, clam, coram, cum, de, è, ex, palam, præ, pro, sine, tenus.

## DE INTERIECTIONE.

Interiectio est, quæ animi affectum voce incondita significat.

Admirationem, papæ.

B 2

Com-

Comminationem, vœ;  
 Detestationem, apage.  
 Dolorem, heu, cheu, hei, ah.  
 Gaudium, io, io.  
 Hortationem, eia, age.  
 Indignationem, hem, proh,  
 Irrisionem, hui, vah.  
 Metum, atat.  
 Risum, ha, ha, he.  
 Silentium, st.

## DE SYNTAXI.

 REGULÆ DE CONSTRUCTIONE  
 SUBSTANTIVORUM.

I. **D**UORUM substantivorum, quæ rem eandem significant, est idem casus; Id appositionem vocant: ut, flumen Rhenus, urbs Heidelberga.

II. Duorum Substantivorum, quæ res diversas significant, alterum est genitivi casus; ut, lex Dei est regula vitæ.

*Discreta*

III. Adiectivum concordat cum substantivo, in genere, numero, & casu: ut,

*Nullus ad amissas ibit amicus opes.*

DE

D E C O N S T R U C T I O N E  
A D I E C T I V O R U M.

I. Adjectiva, quæ, curam, desiderium, notitiam, aut metum aliquem, aut contrâ, significant, genitivos adsciscunt; ut, anxius futurorum, cupidus laudis, conscius facinoris, timidus rerum suarum.

II. Superlativi adsciscunt genitivos plurales, vel collectivi nominis singulares, ut, doctissimus poëtarum Virgilius, optimus plebis.

Nota. Collectivum nomen dicitur, quod in singulari numero aliquam multitudinem denotat; ut, turba, gens, populus, plebs, &c.

III. Dativum adsciscunt, quæ commodum, facilitatem, similitudinem, affinitatem aliquam, aut his contraria significant, ut, sunt otia jucunda senibus.

IV. Adjectiva adsciscunt ablativos, qui causam aut similem circumstantiam significant; ut, lassus cursu.

V. Comparativi adsciscunt ablativum, qui exponitur per nominativum, & particulam QUAM: ut, nihil est veritate dulcius, hoc est quàm veritas.

B ;

DE

DE CONSTRUCTIONE  
PRONOMINIS.

Relativum cum antecedente substantivo in genere & numero consentit; in casu nonnunquam discrepat: nam is sequenti verbo respondet; ut,

*Quo semel est imbuta recens servabit odorem  
Testa diu.*

DE CONSTRUCTIONE  
VERBI.

*Nominativus cum Verbo.*

- I. Nominativus præcedit verbum personale, finitum simili numero & persona, ut, ego doleo, tu rides, ille ringitur.
- II. Est & cum Infinitivus, aut tota oratio infinitiva, pro nominativo usurpatur, ut, mentiri non est viri boni.  
*Non minor est virtus, quàm querere, parta tueri.*
- III. Utimur verbis primæ aut secundæ personæ, dissimulatis ferè pronomibus, ut, vivo, scribis.
- IV. Verba substantiva item nuncupandi, & quæ similem vim habent, ut, vocor, habeor, dicor, &c. utrinque nominativum adsciscunt: ut, nemo est bonus, nisi unus DEUS.

*Geni-*



*Genitivus cum verbo.*

- I. Verbum EST, cùm possessionem, aut officium significat, aut ad aliquid pertinere, genitivum postulat: ut, adolescentis est maiores natu revereri.
- II. Verbo SUM, subjicimus genitivum, vel ablativum, cùm formam, aut qualitatem aliquis describimus; ut, nullius consilii sum; mira sum alacritate.
- III. Verba memoriæ, aut oblivionis, modò genitivum modò accusativum adsciscunt: ut, obliviscor huius rei & obliviscor hanc rem.
- IV. Accusandi verba, damnandi, & absolvendi, genitivum adsciscunt: Interdum ablativum, idque aliàs cum præpositione, aliàs sine præpositione: ut, accusatus adulterii, &, de adulterio.

*Dativus cum Verbo.*

- I. Quodlibet verbum admittit dativum Personæ aut rei, cui qualicumque modo aliquid tribuitur aut adimitur: ut inservio tibi; noceo mihi.
- II. EST, pro habeo, dativum adsciscit: ut, est mihi pecunia, pro habeo pecuniam.

B 4

III. Qui-

III. Quibusdam verbis adduntur gemini dativi, quorum alter personam, alter commodum vel incommodum significat: ut, esse omnibus Indibrio, esse alicui solatio.

*Accusativus cum Verbo.*

- I. Activa verba & quaecunque actionem significant, accusativum adsciscunt, ut, time Deum, scribam literas.
- II. Adsciscunt & neutra quaedam accusativum, sed cognatae significationis, ut, bibo vinum, currit cursum.

*Vocativus cum Verbo.*

Vocativi verbis secundae personae praeponuntur: ut, huc ades ô Melibœe.

*Ablativus cum Verbo.*

- I. Passivorum proprius casus est Ablativus, cum praepositione, A (vel) Ab: ut laudatur ab his, culpatur ab illis.
- II. Ablativo casu efferuntur, quae instrumentum, casum, aut modum actionis significant: ut, petiit me saxo, voluptate captus est.

III. U-

III. Utor, fruor, fungor, potior, vescor, nitor, dignor, ablativum poscunt: ut, utor pecunia, fruor ocio, vescor carne, dignor honore.

IV. Ablativum admittunt verba copiae & inopiae: ut, abundat opibus: eget auro.

V. Ad quaestionem *quando*, respondetur per ablativum, ut, surgit nocte. Ad quaestionem *quandiu*, respondetur per accusativum; ut, menses tres abest.

*Verba cum Nominibus locorum.*

I. Oppidorum nomina primae vel secundae declinationis ponuntur in genitivo, cum quaestio est per **UBI**: At tertiae declinationis, aut pluralis numeri tantum, in ablativo: ut, sunt Romae omnia venalia; vixit Francofurti, Athenis moratur.

Adduntur his etiam hi Genitivi, humi, militiae, domi, belli: ut, domi meae, &c. domi, bellique una fuimus.

II. Oppidorum nomina ponuntur in accusativo sine praepositione, cum quaestio est per **QUO**: ut, profectus est Haidelbergam.

III. Oppidorum nomina ponuntur in ablativo, sine præpositione, cùm quæstio est per **UNDE**, vel, **QUA**: ut, rediit Neostadio, Româ.

IV. Regionum & populorum nominibus sua præpositio additur: ut, sum in Germania, proficiscor in Italiam, rediit ex Gallia.

*De Infinitivo.*

I. Infinitivum præcedit accusativus, qui exponitur per nominativum, & verbum finitum, adjecto **quod** (vel) **ut**: exempli gratia: Miror te lætari, vel quòd lætaris; volo te abire, (vel) ut abeas.

II. Infinitivi adduntur verbis voluntatem, facultatem, sensum, aut eiusmodi quid significantibus: ut, cupit audire, conatur efficere.

III. Casus sequens Infinitivum **esse**, convenit cum substantivo quod antecedit: ut, Aristoteles putatur doctissimus esse omnium Philosophorum.

*De Gerundiis.*

I. Gerundia regunt casum forum verborum; ut, efferor studio videndi patres nostros.

II. Ge-

- II. Gerundiis in DI, adduntur substantiva & adjectiva, quæ voluntatem, aut facultatem significant: ut, locus ignoscendi, illecebra peccandi.
- III. Gerundia in DO, verbis postponuntur, idque interdum cum præpositione; interdum sine præpositione: ut, in iudicando criminosa est celeritas; ex defendendo gloria comparatur: omnia conando docilis solertia vincit.
- IV. Gerundia in DUM, cum necessitatem significant, impersonalium modo ponuntur, & vel dativum juxta se habent, vel casum omnino nullum: ut, sperandum est vivis, vigilandum est semper.

*De Supinis.*

- I. Supina priora in TUM, regunt casus suorum verborum, ut, venio te salutatum.
- II. Posteriora supina in TU, passivè significant, & junguntur adjectivis, facultatem aliquam aut modum significantibus: ut, cibus concoctu facilis, id est, qui facilè concoquatur.

## DE PARTICIPIO.

I. Participia regunt casus suorum verborum; ut, legens Virgilium.

II. Participia cum in nomina degenerant, genitivum adsciscunt: ut, patiens disciplinæ.

III. Duo ablativi consequentiam designantes, absolute ponuntur, alter nominis, alter participii; Explicantur autem per CUM, DUM, SI, POSTQUAM: ut, actore non probante, reus absolvitur, id est, cum actor nihil probat, reus absolvitur.

( *Est autem designare consequentiam, cum in oratione ita aliquid ponitur, ut nihil plenum, aut integrum intelligatur; sed ad perfectionem sententia, amplius aliquid expectetur.* )

## DE ADVERBIO.

Adverbia subiiciuntur verbis, participiis, nominibus, item aliis adverbis, ad explicandas rerum circumstantias; ut festina lente, valde, sero, admodum puer.

## D E C O N I U N C T I O N E .

I. Coniunctio aut similes dictiones coniungit, aut novam orationem superiori attexit. ut, Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis, Et fugiunt freno non remorante dies.

II. Ut coniunctio causalis, & quæ similem vim habent, (quin, ne, quo) coniunctivum adsciscunt: ut, cura ut valeas; curavi ut haberes.

Cùm verbum præsentis temporis præcedit particulam UT, sequitur coniunctivus præsentis temporis, ut, do, ut des; facio ut facias. Cùm præteriti temporis verbum præcedit particulam UT, coniunctivus sequens in præterito imperfecto ponitur, ut, dedi ut dares: feci ut faceres.

## D E P R Æ P O S I T I O N E .

Una & triginta præpositiones construuntur cum accusativo, Ad, adversus vel adversum, ante, apud, circa, circiter, circum, cis, citra, contra, erga, extra, infra, inter, intra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, præter, propè, propter, secundum, secus, supra, trans, versus, ultra, usque: ut, ibo ad patrem. adversus inimicos, &c.

Quia-

Quindecim præpositiones construuntur cum ablativo : A, ab, abs, absque, clam, coram, cum, de, e, ex, palam, præ, pro, sine, & tenus, ut, disce, sed à doctis ; Abs quovis homine, cùm est opus beneficium accipe, &c.

Quatuor præpositiones construuntur cum accusativo & ablativo. In, sub, subter, & super ; ut, ire in templum ; esse in templo ; sub specie pacis, sub noctem, &c.

### I N T E R I E C T I O .

De constructione Interjectionis agetur alibi.

## F I N I S .





Q

2246

ULB Halle

3

007 378 165



Sb

otest depentari,  
objecerunt, Germanicus co  
erunt in Belgio ab Imperato  
riorie fuisse confici  
Rex Imperii

7017

M.C.




III: Dominus **Libri hec**  
no dnm dicens. Dne  
mpc: in ordinatione tua  
sunt posita: et no est  
sic me resistere uolum  
deueneris saluare  
minimo liberabimur.  
a domine fecisti te  
terram: et quid quid  
vini continet. Tu es  
is omnium: et n est  
maiestas tue. Et nuc

LEVI IIII EN MILLENTI VII

et  
herod  
e  
et ad  
clama  
et  
n  
ere u  
e





B.I.G.

Farbkarte #13

COMPENDIUM  
GRAMMATICÆ  
LATINÆ,

*Pro*

SCHOLA HANOVICA:



HANOVIAE.

Typis & Sumptibus JACOBI LASCHÉ,

ANNO M. DC. LII.

